



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Libri// Officialis// Sive Agendae S.// Ecclesiae Treverensis
Pars// Prior**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Avgvstae Treverorum, 1574

VD16 A 766

Ordo & modus communis Baptizandi infantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72595)

**VIII ORDO ET MODVS COMMV-
NIS BAPTIZANDI INFANTES,**
tam masculos, quam foemellas, cum solen-
nitatibus & ceremonijs consuetis.

IN primis Parochus ea, quae supra dicta sunt, de sacramēto Baptismi, saepius diligenter relegat, ne ob ignorantia, seu obliuionem eorum, circa collationem Baptismi errorem committat. **N**otet praeterea, quod sequentes modi baptizandi ita digesti sunt, vt facile accommodari possint infanti masculino baptizando, aut foemellae, masculis aut foemellis: masculino & foemellae simul: & masculino vel masculis, cum duobus, vel pluribus foemellis. **V**bi tamen minister aduertat diligenter, vt **Exorcismi**, & **Orationes** prout vni, vel pluribus, huic vel illi sexui deputatae sunt, legantur, & vt genus & numerus iuxta qualitatem baptizandorum obseruentur. **Q**uare quando baptizanda venit foemella, vel foemellae, vbicunq; signum hoc * occurreret, meminerit ibi genus esse mutandum. **I**taq; ad hoc * signum lectionem suspendat, & ea legat, quae intra duas lineolas huiusmodi () interposita videt. **D**um vero Masculus, vel Masculi baptizandi veniunt nihil hoc * signum curans, inoffense pergat, omisis illis, quae intra dictas lineolas continentur.

Quando porro plures diuersi sexus adferuntur baptizandi, sciat Sacerdos communes **Exorcismos**, & **Orationes**, super omnes simul legi posse, nullo genere mutato: speciales vero sexuum, super illos tantum, qui vnius sexus sunt, legi debent.

Cum autem Masculus & foemella, vel masculus & duae, vel plures foemellae: Aut plures vtriusque sexus simul baptizandi adsunt, **A**diectiua & **P**articipia in masculino genere pronuncianda sunt: quod, si facere nesciat quis, masculum vel masculos: foemellam, vel foemellas seorsum exorcizet & baptizet, modis infra scriptis.

Vbi ad ianuam templi venerint deferentes infantem ad Baptismum, Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter inquirat, quis sit electus, vel electi, vt baptizandum de sacro fonte suscipiant, vt eius, vel eorum tantum nomina in libro describat, secundum ea, quae supra dicta sunt de Patrinis. **T**andem infantem, vel infantes ante fores Ecclesiae exorcizet & catechizet, vt sequitur.

Ordo